Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Ego qui loquor iustitiam: et propugnator sum ad saluandum.
Quare ergo rubor est indumentum tuum: et vestimenta tua sicut
calcantium in torculari. Torcular calcauit solus: et de gen-
tibus non est vir mecum. Calcauit eos in furore meo: et conqui-
nauit eos in ira mea. Et aspersus est sanguis eorum super vestimen-
ta mea: et omnia indumenta mea inquinauit. Dies enim ul-
tionis in corde meo: annus retributionis meae venit. Cu-
spexi et non erat auxiliator: quaesiui et non fuit qui adiuua-
ret: et saluauit mihi brachium meum: et indignatio mea
ipsa auxiliata est mihi. Miserationum domini recordabor
laudem domini annuntiabo: super omnia quae reddidit nobis
deus noster. Ieo ysaie phete.

In diebus illis: Dixit ysaias. Domine: quis credidit
auditui nostro: et brachium domini cui reuelatum est. Et ascen-
dit sicut virgultum coram eo: et sicut radix de terra sitienti. Non
est species ei neque decor. Et vidimus eum: et non erat aspectus:
et desiderauimus eum. despectum: et nouissimum virorum: virum dolo-
rum: et scientem infirmitatem. et quasi absconditus vultus eius:
vnde nec reputauimus eum. Vere languores nostros ipse tulit:
et dolores nostros ipse portauit. Et nos putauimus eum quasi lep-
rosum: et percussum a deo et humiliatum. ipse autem vulneratus
est propter iniquitates nostras: attritus est propter scele-
ra nostra. Disciplina pacis nostre super eum: et liuore eius
sanati sumus. Omnes nos quasi oues erraui: vnusquisque
in via sua declinauit: et dominus posuit in eo omnium iniquitates
omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit: et non aperuit os
suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur: et quasi agnus
coram tondente se obmutescet: et non aperiet os suum. De an-
gustia et de iudicio sublatus est. Generationem eius quis enarrabit